



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Io. Iac. Chiffletii De Linteis Sepulchralibus Christi
Servatoris Crisis Historica**

Chifflet, Jean-Jacques

Antverpiae, 1624

Cap. XXIII. Aliiquid pro veritate Sindonis Taurinensis, contra sententiam
iniquam Clementis Antipapæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64456](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64456)

CAPVT XXIII.

*Aliquid pro veritate Sindonis Taurinensis, contra
sententiam iniquam Clementis Antipapa.*

HENRICVS de Pictaviâ, & Petrus de Arceys, Trecenses quondam Episcopi, de hac Sindone, cum in ipsorū Dioecesi asseruabatur, quàm malè senserint, ex dictis Capite decimosextimo satis intellectum est; quidque Clemens VII. Antipapa temerè de illâ sanxerit. Quod quia passim iactari scio in Franciâ & Burgundiâ, per quas plurima tabularum ad Sindonem Allobrogicam pertinentium sparsa sunt exemplaria, mearum partium esse duxi, scrupulum hunc populo eximere; ne cuius Sindonis cultus tantum piis mentibus præsidij attulit atque emolumentum, ea, sensim latius sparso illo rumore, aliis atque alijs despectui esse inciperet. *Nihil tam sacrum est*, inquit Seneca, *quod sacrilegium non inueniat*. Et verò, si ipsa, quibus certius esse nihil potest, fidei nostræ mysteria, integri aliquando, & maximi populi, Arii, Nestorij, Caluini, Lutheri, aliorumque hæresiarcharum deliria secuti, vocarunt in dubium; mirum nemini videri debet, si de Christi ac Sanctorum veris Reliquiis, quibusdam in locis

S ali-

138 DE LINTEIS SEPVLCHR. CHRISTI
aliquando dubitatum est. Scio, quod ex S. Augu-
stino & Glabro refert Baronius, anno Chri-
sti CCC. LXXXVI. & rursus anno M. XXVII. extitisse in-
terdum quosdam, qui falsas Reliquias lucrî causâ
distraherent: sed impostores illi coërciti sunt, &
patefactæ illorum fraudes, non ferente Deo, vt in
iis quæ ad Religionem spectant publicus error in
Christianum populum irreperet. Et quamuis he-
reticus hoc ipso non sit (vt docent Theologi) si
quis de quarundam Reliquiarũ veritate dubitet:
qui tamen pretiosiora quædam Lipsana, & longo
temporis decursu præcipuâ Religione culta, &
à prudentissimis quibusque pro veris habita, &
clarissimis diuinitus affirmata miraculis in du-
bium reuocet, næ ille stultissimæ temeritatis reus
iudicandus sit, & hæretico proximus. Iam Sin-
donis Allobrogicæ sanctitatem quid non com-
mendat? testimonia de cælo data recensui; quòd
qui eam furto abstulerant, cælitus castigati, cæli-
tus curati; quòd flammis inuicta, quòd dæmo-
nibus terrori, quòd saluti periclitantibus fuit.
Quid quòd tam diu tractata, vsu ipso non deteri-
tur? quid fulgor ille diuinus, qui nec eam à picto-
ribus exprimi patitur, & intimum pietatis sen-
sum, sacrumque horrorem, ac lacrymas ciet,
num cæleste nescio quid, & humano maius of-
tendit?

tendit? Quid quod Xystus IV. Pontifex Maximus in Opusculo de Corpore & sanguine Christi, in hoc sacro Linteo verum Christi sanguinem & imaginē, ab ipso Christi corpore diuinitus impressam conspici asserit: quod Sindonis elogium refert & amplectitur Iulius II. dato Diplomate ad annum M. D. VI. additque insuper, eam Sindonem, quippe sacri corporis & sanguinis attactu consecratam, non minùs quàm veram Christi crucem adorari debere? Quòd si constitisset, vt exposuit Petrus de Arceys, pannum illum humanâ manu depictum fuisse; cur quæso eum Gaufridus de Charny Lirensis Ecclesiæ piissimus fundator, tam pretioso scriniolo, propriis cælato insignibus reposuisset? cur Gaufridus alter, Gaufridi fundatoris filius, causam illam de ostensione Sudarij, ad Regem, ad Legatum Pontificium, ad Pontificem euocasset? cur Lirenses in Reliquiarum suarum Catalogo (suprà relato, in litteris Humberti Comitis) Sudarium primo loco reposuissent? cur dixisset Præpositus Trecentis, in Instrumento superiùs citato, anni M. CD. XLIX. *illud Iesu Christi Sudarium, esse præcipuum iocale Lirensis Ecclesiæ?* cur denique Margarita, rei ad familiam suam pertinentis satis conscia, eam Sindonem semel adepta, tam obstinatè retinuisset, vt

non Lirensium flagitationibus, non Iudicium senti-
 tentiis, non mulctis pecuniariis ad eam restitu-
 dam vñquam adigeretur? nouerat illa scilicet
 domestici thesauri pretium, quod in Lirensi op-
 pidulo vel ignotum delitescere, vel prædonibus
 propositum esse, pati non poterat. Falsa igitur, &
 diuinis humanisque testimoniis repugnantia lo-
 cutus est Petrus de Arceys, siue quia ob præpedi-
 tam in eâ causâ auctoritatem suam, grauius com-
 moto, de suo aliquid affingere promptissimum
 fuit; siue quia in rebus tot ante annos ab Henrico
 Episcopo gestis, hallucinari facile potuit. Pudet
 equidem in Episcopo Catholico idipsum cerne-
 re, quod in nefandis hæreticis Ecclesia damnat:
 licuerit enim Petro de Arceys miracula Lirensis
 Sindonis criminari, & pro confictis habere (qui
 hæreticorum hodie mos est;) quid verò dicturus
 esset de miraculis, quæ per illam apud Allobro-
 ges, tam multa tamque illustria contigere? num
 ea vocaret in dubium, quæ luce palàm, in oculis
 ciuitatum ac populorum patrata sunt? Iam vt ad
 Trecensium Theologorum ineptias veniam, qui
 Christi corporis figuram remansisse negant in
 Sindonibus, quòd talis relictæ figuræ, nulla in
 Scripturis fiat mentio: ecquid aliud in sacra Su-
 daria iactauit Calvinus? *Euangelista*, inquit, non
 scri-

scribunt Christum imaginem sui corporis, Sindoni illi impressisse; mentiuntur ergo Papista, & imperitam multitudinem miserè seducunt, cum hoc affirmant.
 En quo patrono gaudet præceps ipsorum & temeraria sententia. Audiant igitur cum Caluino, quomodo & sacris Linteis impressa Christi effigies, & aliæ non scriptæ traditiones, in Scripturis ipsis delitescant: *Sunt & alia multa, quæ fecit Jesus,* ^{Cap. vi.}
(inquit Ioannes) quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos qui scribendi sunt libros. Quod denique addidit Petrus, Sindonem Lirensensem arte humanâ depictam fuisse, tam mihi falsum esse constat, quàm verum est illum ex invidiâ, aliâve animi perturbatione, (inde scilicet exortâ, quòd duplici iam sententiâ silentium ipsi in causâ Sindonis impositum fuisset) talia fingere potuisse, aut, vt quàm mitissimè loquar, res ignorare ante annos triginta quinque in eâ controuersiâ gestas ab Henrico de Pictauiâ; inter quem & ipsum, alij duo Trecentes Episcopi intercessêre. Omnino, cui micamentis supersit, ad libranda rerum momenta; quiq; tot legitimorum Pontificum sanctissima æquissimaq; decreta, bruto illi Pseudo-Pontificis fulmini, & paucorum perturbationi, tot diuina humanaq; testimonia opponere no-

142 DE LINTEIS SEPVLCHR. CHRISTI
rit; libellum Petri de Arceys, atque etiam Cle-
mentis Antipapæ edictum, cuius piperis cucul-
lo posthabebit.

C A P V T X X I V.

*Sindonem Taurinensem unde Gaufridus de Charny
trecentis pænè abhinc annis acceperit.*

Hic se noua aperit quæstio, vndenam Gau-
fridus Charniensis veram illam Christi
Sindonem acceperit, quam trecentis pænè ab-
hinc annis in Lirensi Ecclesiâ à se fundatâ con-
stituit. Ac mihi quidem historiarum monu-
menta, resque præsertim à Gaufrido gestas perlu-
stranti, certi nihil occurrit. Natus est Gaufridus
clarissimâ in Burgundiæ Ducatu familiâ *de Char-
ny*, cuius hodieque nomen retinet latissimus ager
(diruto eiusdem nominis castro) à Chabotio-
rum gente nunc possessus. Hunc apud rerum
Francicarum Scriptores primùm lego anno Chri-
sti M. CCC. XL. à Philippo Valesio Francorum Re-
ge, cum aliis Ducibus ac Magnatibus, Tornacum
missum, ad tolerandam, quæ ab Eduardo III.
Anglorum Rege parabatur, obsidionem. Inde
anno M. CCC. XLII. præfectum postremo agmini
exercitus Francorum in Britanniam ducti ad Ve-
netos